Ecce ego conflabo et probabo eos. Quid
enim aliud faciam a facie filie populi mei? Sagit
ta vulnerans lingua eorum dolum
locuta est. In ore suo pacem cum amico
suo loquitur et occulte ponit ei insidi
as. Numquid super his non visitabo dicit
dominus aut in gentem huiuscemodi non
ulciscetur anima mea? Super montes in
assumam fletum ac lamentum et super
speciosa deserti planctum quoniam incensa
sunt eo quod non sit vir pertransiens et non
audierunt vocem possidentis. A vo
lucre celi usque ad pecora transmigraverunt
et recesserunt. Et dabo Ierusalem in acervos
arene et cubilia draconum et civitates
Iuda dabo in desolationem eo quod non
sit habitator. Quis est vir sapiens qui
intelligat hec et ad quem verbum oris
domini fiat ut annuntiet istud? Quare pe
rierit terra exusta sit quasi desertum eo
quod non sit qui pertranseat? Et dixit dominus: Qui
dereliquerunt legem meam quam dedi
eis et non audierunt vocem meam et non
ambulaverunt in ea. Et abierunt post pra
vitatem cordis sui et post Baalim que
didicerunt a patribus suis. Idcirco hec di
cit dominus exercituum deus Israel. Ecce ego ciba
bo eos populum istum absinthio et poti
dabo eis aquam fellis. Et dispergam eos
in gentibus quas non noverunt ipsi et
patres eorum. Et mittam post eos gla
dium donec consumantur. Hec dicit dominus
exercituum. Contemplamini et vocate la
mentatrices et veniant et ad eas que
sapientes sunt mittite et properent.
Festinent et assumant super nos la
mentum. Deducant oculi nostri lacri
mas et palpebre nostre defluant aquis.
Quia vox lamentationis audita est de
Syon quomodo vastati sumus et confu
si vehementer quia dereliquimus terram quoniam
deserta sunt tabernacula nostra. Audite
ergo mulieres verbum domini et assu
mant aures vestre sermonem oris eius et
docete filias vestras lamentum et unaque
que proximam suam planctum. Quia ascendit
mors per fenestras nostras ingressa est
domos nostras disperdere parvulos de fo
ris iuvenes de plateis. Loquere: Hec
dicit dominus. Et cadet morticinum hominis
quasi stercus super faciem regionis et quasi
fenum post tergum metentis et non est qui
colligat. Hec dicit dominus. Non glorie
tur sapiens in sapientia sua et non
glorietur fortis in fortitudine sua
et non glorietur dives in divitiis suis
sed in hoc glorietur qui gloriatur scire et
nosse me quia ego sum dominus qui facio
misericordiam et iudicium et iustitiam in terra.
Hec enim placent mihi ait dominus. Ecce dies
veniunt dicit dominus et visitabo super
omnem qui circumcisum habet preputium
super Egyptum et super Iudam et super
Edom et super filios Ammon et super Mo
ab et super omnes qui attonsi sunt in co
mam habitantes in deserto. Quia omnes gentes
habent preputium. Omnis autem domus Israel
incircumcisi sunt corde.

X

Audite verbum quod locutus est dominus super
vos domus Israel. Hec dicit dominus. Iu
xta vias gentium nolite discere et a signis
celi nolite metuere que timent gentes quia
leges populorum vane sunt. Quia lig
num de saltu precidit opus manuum arti
ficis in ascia. Argento et auro decora
vit illud. Clavis et malleis compegit
ut non dissolvatur. In similitudinem pal
me fabricati sunt et non loquentur. Portata
tollentur quia incedere non valent. Nolite
ergo timere ea quia nec male possunt
facere nec bene. Non est similis tui domine:
magnus es tu et magnum nomen tuum
in fortitudine. Quis non timebit te o rex gen
tium? Tuum est enim decus inter cunctos sapientes
gentium et in universis regnis eorum nullus
est similis tui. Pariter insipientes et fatui
probabuntur. Doctrina vanitatis eorum
lignum est. Argentum involutum de Thar
sis affertur et aurum de Ophaz. Opus
artificis et manus erarii. Hyacinthus
et purpura indumentum eorum. Opus artificum
universa hec. Dominus autem deus verus est. Ipse est deus
vivens et rex sempiternus. Ab indig
natione eius commovebitur terra et non susti
nebunt gentes comminationem eius.
Sic ergo dicetis eis. Dii qui celum et ter

STCBBC 1001-5

License: public_domain – Cambridge, MA, Harvard University, Houghton Library, MS Typ 30.1, (seq. 9) – Jeremiah and Lamentations (https://fragmentarium.ms/view/page/F-zshm/1117/15738)